



## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

XLVI. Joannes IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

Ascensionis Domini, & in Verdensi Ecclesia locum  
quietis invenit, postquam Ecclesiæ illi annis 33. Hil-  
desiensis vero 21. laudabiliter præfuiisset.

**XLV. ERICUS** Dux Saxonie, Angarie &  
Westphaliae, Canonicus Metropolitanæ Colonensis,  
postulatus Episcopus Hildesiensis Anno 1503. magnâ  
pompâ à Nobilibus & Civibus in Civitatem introdu-  
ctus: paulò post Episcopatum resignavit, vel Capi-  
tulo Cathedrali consentiente, in Fratrem Joannem  
transtulit.

**XLVI. JOANNES IV.** Prædecessoris Fra-  
ter eodem Anno 1503. ex eadem Saxoniorum Du-  
cum familia in Cathedra Hildesiensi successit. Ex 24.  
Præfecturis, quæ nobilibus aliis oppignoratae erant,  
solam Steurwaldensem immunem incoluit, & frugali-  
tate suâ tantum collegit pecuniae, ut Lawensteinium  
à DD. de Salderen, uti & alias nonnullas Satrapias ab  
aliis redemerit. Joannes & Dux Lunæburgicus in-  
prælio victores, contra Brunswicenses Duces, Eri-  
cum captivum cepere, uti & Wilhelmum & Erne-  
stum: verùm hi pro lytro promisso dimissi, gravio-  
ra belli incendia contra solum Joannem excitarunt,  
arcem Ruthensem exusserunt, Steinbrüggensem,  
Woldenbergensem, Lewenburgensem, Peinensem  
aliasq; aut vi, aut præsidio sponte se dedente, interce-  
perunt: Et Joanne à Carolo V. Banno subiecto, atq;  
a tractatibus excluso, Duces Ericus & Henricus vi-  
tores Capitulo, Clero, & Nobilitati citatis Quedlin-  
burgum certas pacis conditiones proposuere, Præfe-  
turásq; inter se divisere. Deniq; Joannes cognito tra-  
statuum Quedlinburgicorum eventu suis valedixit,  
&

& in Marchia Brandenburgica apud Joachimum Ele-  
ctorem delituit, donec Anno 1547. 30. Novembris Lu-  
becæ piè mortuus & Ratzeburgi sepultus, postquam  
majore laude, quam felicitate 44. Annis Episcopa-  
tum rexisset.

XLVII. BALTHASAR Prope Fribur-  
gum in oppido Waldkirchen humili loco natus, do-  
ctrinæ beneficio primum ad lauream Doctoralem,  
deinde ad Vice-Cancellarii totius Imperii dignita-  
tem, ac dñiq; ad honoris Episcopalis apicem con-  
scendit: cùm enim Cathedrale Capitulum, ejus tum  
doctrinæ præstantiâ, tum quâ valebat apud Cæsarem  
gratiâ, omnia restitutum iri speraret, eâq; spe Joan-  
nem ad Episcopatum resignandum induxit, Bal-  
thasarem consensu unanimi elegit. Qui Anno 1528.  
mitram sibi oblatañ acceptavit, & ex portu Bilbaø  
solvens, Flissingam pervenit, inde variis in via Prin-  
cipibus, ac Ducibus etiam Brunswicensibus salutatis;  
tandem Hildesium appulit. Tertio ab adventu suo  
die, postquam de pace & fide Catholicâ à Majoribus  
acceptâ retinendâ, ad Proceres & Senatores præclarè  
perorasset, mox equum concendit & tribus solùm  
comitibus stipatus, Spiram ad Imperii comitia disces-  
sit. Hildesiensibus, ut Aquilam insigni addere liceret,  
à Cæsare obtinuit. Ipsum verò moras longiores tra-  
hentem, Legati Hildesienses insecuri, Spiram venère,  
ut redditum Præfuli suo periuaderent; Populiq; suspi-  
ciones, de quatriduanâ, aī :e adventum suum, apud  
Duces vicinos morâ, & suito discessu Hildesio, ape-  
riuere. At Balthasar caufas, quibus à redditu præpedi-  
tetur obtendit; ac postmodum Anno 1531. Treviros

pro-

15